

atq; angulus qui sub  $KL$  per canonem angulorum meridiano-  
rum, è quibus reliqua, ut iam demonstrata sunt, cognoscentur.  
Deinde propter  $EN$  ascensionem rectam, dantur partes signife-  
ri  $EM$ , quibus stella cum  $M$  signo cælum mediat.

De finitoris sectionibus. Cap. v.

**H**orizon autem circulus, alius est rectæ sphaeræ, ali-  
us obliquæ. Nam rectæ sphaeræ horizon dicitur, ad  
quem æquinoctialis erigitur, siue per polos est æqui-  
noctialis circuli. Obliquæ uero sphaeræ uocamus eum,  
ad quem circulus æquinoctialis inclinatur. Igitur in horizonte  
recto omnia oriuntur & occidunt, fiuntq; dies noctibus semper  
æquales. Omnes em̄ parallelos motu diurno descriptos per me-  
diū secat horizon, nempe per polos, & accidunt ibi quæ iam circa  
meridianū explicauimus. Diem uero hic accipimus ab ortu So-  
lis ad occasum, non utcunq; à luce ad tenebras, uti uulgus intelli-  
git, quòd est à diluculo ad primā facem, de quo tamē circa ortū  
& occasum signorū plura dicemus. E cōtrario, ubi axis terræ eri-  
gitur horizonti, nihil oritur & occidit, sed in gyrum omnia uer-  
sata semper in aperto sunt, uel in occulto, nisi quòd alius motus  
produxerit, qualis est annuus circa Solē: quo sequitur per seme-  
stre spacium diem ibi durare perpetuū, reliquo tempore noctē:  
nec alio quàm hyemis & æstatis discrimine, quoniam æquino-  
ctialis circulus ibi conuenit in horizonte. Porro in sphaera obli-  
qua, quædam oriuntur & occidunt, quædam in aperto sunt sem-  
per, aut in occulto, fiunt interim dies & noctes inæquales. Vbi  
horizon obliquus existens contingit duos circulos parallelos,  
iuxta modū inclinationis, quorum is qui ad apparentem polum  
est, definit semper patētia, & ex aduerso qui ad latentem est po-  
lum, latentia. Inter hos ergo limites per totā latitudinē incedens  
horizon, omnes in medio parallelos in circūferentias secat inæ-  
quales, excepto æquinoctiali, q̄ maximus est parallelorū: & ma-  
ximi circuli bifariā se inuicē secant. Ipse igitur finiens obliquus  
dirimit in hemisphaerio superiori uersus apparentē polū maio-  
res parallelorū circūferentias, eis quæ ad Austrinū latentemq;  
i polum